



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.  
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

**Contzen, Adam**

**Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI**

Quæ futura annunciabit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

impofuit qui inenarrabilis benignitatis materiam in impietate argumentum accipiunt. Cum enim dicant propterea filium incarnatum, quoniam inferior erat patre dicemus ad alios: Quid de spiritu dicitis: Non accepit carnem, neque propterea ipsum filio maiorem afferetis. Theophylactus quoque Spiritum sanctum nihil a se dixisse, sicut Christus nihil dixit a se, existimat. Chryllostomus, *ἵνα εἰς τὸν ἐγγὺν, πρῶτα καλεῖν ὁ θεὸς, ὁ δὲν ἐναντίον, ὁ δὲν ἰδιον αὐτοῦ τὸ ἐμὸν.* Qua ego dixi. illa & ille dicit: nihil contrarium, nihil proprium prater mea. Non quod nihil noui, sed nihil non a Christo, hoc enim ipse explicat. *ὡς περὸν αὐτὸ ἐλάτῳ, αὐτὸ ἐμῶν ὁ δὲν ἰδιον ὅτι ἕδεν ἐκτός τῶ περὸς, ὁ δὲν ἰδιον παρ' ἐκείνου καὶ ἀλλοτρίον οὗτω καὶ αὐτὸ τῶ πνεύματι.* Quemadmodum igitur de seipso loquens, a me ipso non loquor, hoc dicit: quod nihil sine patre, nihil proprium prater illum, & alienum, sic & de spiritu sancto. Quemadmodum igitur non omnia ante Pater dixerat, quae ipse docuit, ita neque omnia ipse quae Spiritus sanctus postea suggerit licet non aliena.

§. 2. Calumnia vera est, cum nos sectarij accusant quasi ex nobis ipsis aliqua doceamus. Ita Rudolphus Gualteri, Bullingerus, Hunnius, alijq; Et Bullingerus quidem omnia Catholicos a seipsis loqui, quae in facris literis disertè expressa non sunt, quod idem etiam Caluinus ogganit. Bullingerus quidem omnia dogmata in scripturis clarissime proposita imaginatur, imo Apostolos perfidiae accusandos si non omnia scripsissent accurate, quae in Ecclesia sunt credenda.

Respondeo. Haec omnia ipsos loqui a seipsis & iacere in nos calumnia πάλιν διορθοῦσθαι, quae in ipsos recidit. Nam nihil in Ecclesia docendum esse, quod non est in scriptura, nulla docet scriptura. Omnia diderunt ex pressa esse nusquam legimus. Ne alia quidem eorum dogmata, ut corpus Christi esse figurā corporis, credere esse simulare fidem. Homicidas & adulteros retinere Sp. S. & iustitiam, haec aliena Christo, haec non a Spiritu sancto, sed a seipsis, imo a patre diabolo loquuntur.

At Apostoli cur non omnia scripserunt? Cur Christus nihil scripsit, nec viuis scribi curauit: Ad predicandum, non scribendum omnes missi sunt, cum visum est opportunum, scripserunt. Cur vero non nisi paucis, & ut visum est haereticis, non nisi Graece scripserunt? An Hebraeis, Latinis, barbatis Euangelium inuiderunt? An ideo illarū genuū Ecclesiae non fuere verax, qui verbo tradito non scripto vrebantur? At explicata est illis scriptura Graeca, ita sanè traditione ergo Euangelium didicerunt, ut illi qui legere nesciunt. Legunt Germani, & Poloni sonantes sua lingua scripturas, nec tamen scriptū est, eas esse veras scripturas, sed credunt tralatoribus. Cur non etiam & explicatoribus? Non putarunt Apostoli omnibus linguis scribendum, sed successeribus explicanda reliquerunt, & quae scripserunt, & quae praedicarunt.

QVÆSTIO IV.

Quae futura annuntiabit?

§. 1. Consolato ad hoc pertinet, ut ostendat eos fore magnae auctoritatis, quae possint convincere Iudaeos & gentes, atq; inter cetera promittit donū prophetiae. Summa aut erat inter Iudaeos auctoritas prophetarū. Nam humanae mentis curiositas praesentium fastidiosa, futurorum auida, maximi eos aestimat, quos futura praevidere cognoscit. Futura illa quidam restringunt ad statū Ecclesiae, & spiritalia, verum ad omnia quae cognoverunt per Spiritum prophetiae homines diuersi, tam Apostoli, quam alij. Lutherus negat iam opus esse miraculis, nec iam futura cognosci. Sed refellitur Christi verbis. Ecclesiae suae promisit Spiritū prophetiae, τὸ ἐχόμενον futura annuntiabit Sp. S. & tempore Apostolorū Agabus, & filiae Philippi prophetia habuerunt, atq; adeo, usq; ad nostra tempora non defuerunt, qui longe distita, & futura praedixerint. Prophetiae igitur donū inter ceteras notas veræ Ecclesiae

Adami Conzen in Euang. Tom. II.

signū est, ut illa sit Ecclesia in qua Prophetae sunt, & ea non sit in qua nulla est futurorū presentio. Ita Io. Apoc. 19. Testimonium Iesu est Spiritus prophetiae. Et Ephes. 4. ad extremum usq; diem ut alia dona, ita etiam Spiritus prophetiae in Ecclesia continuatur. Inter ceteros vi- de de his Bozium l. 6. c. 11. de signis Ecclesiae.

VERSUS 14.

Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

QVÆSTIO I.

Quid sit quod ait Dominus, de meo accipiet?

§. 1. NE maiorem forte Spiritum sanctum filio esse existimarent, fore ait, ut ipse Spiritū clarificet & illustret, δόξα αὐτοῦ glorificabit, docebit enim eius diuinitatem maximisq; miraculis confirmabit. Ipse quasi legatus Christi omnia praestabit, caritatem diffundet in corda fidelium. Expositio est triplex. De meo accipiet, hoc est ex scripturis accipiet. Deinde de meo, hoc est de mea doctrina accipiet. Tertio de meo accipiet, quia a me procedit, ita ut procedendo essentiam, ita etiam docendi munus aliaq; accipiet. Prima expositio est aliena; non enim sola scriptura vltus est, sed multa non scripta reuelauit, nondū nouum fœdus erat scriptum: sed ipse reuelauit, quae scribenda, & quae non scribenda fuerunt. Deinde scriptura tam Spiritus sancti quam Christi erat. Illo .n. inspirati locuti sunt prophetae quae inspiratio Spiritui sancto appropriatur. De scripturis tamen accepit, dum eas interpretatus est Apostolis, & memoriam bibliorum illis momento contulit.

De meo quid?

De scripturis accepit.

§. 2. Altera interpretatio duplici modo intelligi potest. Primo ut nihil docturus dicatur, nisi quod Christus docuit, eiusq; doctrinā in memoriā reuocaturus. Hunc sensum nonnulli haeretici frustra contra traditiones vrgent, & supra refutaui. Alius sensus verus est: nempe de mea doctrina factisq; accipiet & docebit, quae ego docturus eram, si iam idonei essetis auditores. Chryllostomus monet, non ideo accipere, quod indigeat aliena institutione, εἰς ὃν ἐγγὺν ἐμελλον διδάσκειν ἐκ τῶ ἀποστόλων, αὐτὸς ἐρεῖ. Ex quibus ego docturus eram, ex eisdem & ille loquetur. Addit ille Spiritum plura locuturū, quā locus sit filius, ideo filium clarificare. Non ergo a Christo abducat, sed Christum commendabit, idque de meritis Christi; nam omnis etiam gratia, quam nobis donat, de merito redemptoris donabit.

§. 3. Tertiam interpretationē magno consensu habent patres interpretes, atq; adeo etiam multi haeretici. De meo accipiet, quia a me procedit. Quia eadē mea, & illius scientia, sicut essentia. *ἐκ ἐμοῦ ἢ πατρὸς καὶ πατρὸς ἡ αὐτοῦ* inquit Chryllostomus, *Ex eodem thesauro, & diuitijs scientiae.* Et Nazianzenus. Ex eo vtriq; quod est filius, quia & filius ex eo, quod est pater. Orat. 5. *cedendo.* Et Theophylactus: *Glorificabit me, nam in nomine meo omnia loquetur, & faciet, & nihil contrarium dicit: ut ego propter facta per ipsum miracula Deus credat, vobis meis discipulis diuite gratia infusa & per meam mortem nomen meū magis effulgeat.* Postea cum audierunt Dominum dicentem: quod vnus nobis dux Christus est. *Ut ne existimarent: quod postquam vnus magister es ipse, quomodo nobis dicit & alium fore magistrum Spiritum? subinsert: Ex meo accipiet; hoc est. Ex meo thesauro, qui est patris. Postquam enim omnia, quae habet pater, mea sunt, & mea diuinitate, & Paraclerus ex illis quae patris sunt, loquetur, merito dico, Ex meo accipiet: hoc est, thesauro, & diuitijs, & cognitione.* Quare hinc deitatem Spiritus probat: Nulla enim creatura eo modo accipere potest de illis quae sunt Dei. Eadem est sententia Ignatij ad Ephesios, Martialis ad Burdegal. c. 10. Cyrilli Ierosolymit. catech. 17. Epiphaniij. Sed eam praecipue in disputationibus contra Arianos Athanasius illustrauit. Maxime ad consolationem pertinebat, ut intelligerent,

Ex Christi accipit pro cedendo.

Hereticorum dogmata non sunt in scripturis.

Apostoli ad predicandum non scribendum missi.

Summa auctoritas prophetarum.

Quae etiam nunc miracula.